



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs V. De infinitate corporis naturalis, aliarumque rerum quoad
durationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

diuissim sumpta, & quoad singulas eius partes illum fortitur. Contra tertio: quia sicut magnitudo permanens mouetur de loco in locum, ita anima rationalis v. g. mouetur de tempore in tempus: at eo ipso, quod anima rationalis sit aeterna à parte post, & infinita duratione praedita sit, potest continuè moueri de instanti in instans absque vilo termino ad quem, vltra quem vltius non progrediatur: ergo eo ipso, quod magnitudo aliqua sit immensa, & infinita vicationis versus aliquam partem poterit moueri de loco in locum absque vilo termino à quo, quem omnino deserat. Quare melius argumento responderi potest, lineas illas per motum sibi committi, & iungi posse: ob id tamen duobus terminis eas clausum non iri; sed spatium, quod antea versus Orientem, & Occidentem; & vltius spatium partium abscissarum ratione suae infinitatis occupare posse, vt in solutione praecedentis argumenti exposui.

24. Sexto arguunt aduerarij: implicat qualitas infinite intensa: ergo & qualitas infinite extensa. Consequentia videtur sine vilo discrimine. Antecedens suadetur: tum quia si daretur visio Dei infinite intensa, esset comprehensio Dei, quae tamen repugnat: tum etiam, quia si grauitas infinita in lapide constitueretur, lapis in instanti moueri posset, & non posset, vti disputat Aristoteles 1. de caelo cap. 6. non posset moueri in instanti, quia motus essentialiter tempus postulat, in quo exerceatur: posset quidem moueri in instanti, quia quo grauius est mobile, eo velocius, siue breuiori tempore mouetur: ergo, si mobile est infinita grauitatis; in vnico temporis puncto moueri poterit. Respondeo negato antecedenti; ad primam eius probationem dicendum est, quod visio Dei infinite intensa eum non comprehenderet, cum plura Dei connotata, pluresque eius effectus eam latere possent. Ad secundam probationem dicendum est, quod lapis infinita, & summa grauitate praeditus in instanti moueri non posset; sed solum moueri posset in centrum motu summe veloci: motus autem summe velox non est, qui in instanti temporis peragitur; sed qui nullam partem etiam indeterminatam loci non attingit, nullamque etiam partem indeterminatam temporis non exhaurit.

25. Septimò demum argumentatur contrarij. Quia nequit Deus simul producere omnem quantitatem finitam solum: ergo nequit etiam producere simul quantitatem infinitam. Consequentia tenere videtur: vbi enim id, quod finitum, & minus est, à Deo produci nequeat: quā ratione ab eo produci poterit id quod infinitum; ac proinde finito maius est. Antecedens suadetur: si produceret Deus simul omnem quantitatem finitam solum; ea quantitas additione vnus palmi (quam quantitati infinite nondum productae detrahat Deus) additione, inquam, vnus palmi infinita euaderet, atque finitum additione finiti in infinitum exeresceret, quod chimericum est. Sequela suadetur: quia omnis quantitas finita solum est maxima quantitas finita: at vbi quantitati finitae maxima aliquid addatur, ea finita remanere non poterit: alias ante additionem inter finitas maximarum fuisset: ergo quantitas illa quacunque additione in infinitam exerescet. Respondeo, producere Deum omnem quantitatem finitam solum, hoc est, quae infinita non sit, est producere partes quantitatis infinite, quin

ipsa quantitas infinita producat: omnis enim quantitas finita est pars, aut potius partes quantitatis infinite: cum ergo Deus diuinitus producere nequeat partes omnes alicuius totius, quin totum ipsum producat: sanè quantitatem omnem finitam solum producere nequibit. At ex eo, quod Deus infinitam quantitatem actu produceret, neuiquam sequeretur partes alicuius totius toto ipso improducto à Deo productum iri. Itaque concessio antecedenti praecipuo obiectionis neganda est eius consequentia: nimirum: quia vt visum est, quae militat in antecedenti ratio, ea nequaquam procedit in consequenti.



TRACTATVS V.

De infinitate corporis naturalis, aliarumque rerum quoad durationem.

CAPVT PRIMVM.

An creatura aliqua permanens, siue corporea, siue corporis expers esse possit à parte ante aeterna, siue infinita quoad durationem?



1. I. FIRMATIVAM questionis propositae partem tumentur B. Thomas 1. part. q. 46. art. 2. & 2. contra gent. cap. 46. & cum eo Caietanus, Capreolus, Ferrariensis, alique Thomistae. Item Okam. Gabr. Gregor. & cum his non pauci Nominales. Nec non Scotus, quanquam problematice in 2. dist. 1. quaest. 3. ac Durand. etiam in 2. dist. 2. q. 2. Ex nostris Suarez 1. Metaphys. disp. 20. sect. 6. Vasquez 1. p. disp. 177. cap. 5. Molina 1. part. q. 46. art. 2. Conimb. 8. Phys. cap. 2. quaest. 6. art. 6. Hurtadus disp. 16. Phys. sect. 1. Compton. disp. 39. Phys. sect. 1. Ouiedo lib. 8. Phys. contr. 19. punct. 1. Rub. tract. de aeternit. mund. q. 2. & Arriaga disp. 17. sect. 2. subsect. 2. quibus libenter accedo. Primò, quia non est maior perfectio aeternitas, siue infinitas durationis à parte ante duntaxat, quam aeternitas, siue infinitas durationis à parte post: at haec posterior perfectio conditionem creaturae permanentis non superat: ergo nec illa prior perfectio est supra conditionem creaturae suapte natura permanentis. Maior probatur: quoniam semper fuisse, aliquando tamen non fore, nec beatius, nec perfectius est, quam aliquando non fuisse, semper tamen fore: imò hic posterior existendi, modus priori perfectior, & beator est, si altera alterum excedit, vt intuitu constabit: infinitas ergo durationis à parte infinitatem durationis à parte post neuiquam perfectione superat. Minor autem argumenti nostri est de fide, cum Scripturae Angelorum, & animorum immortalitatem, eorumque aeternam, ac nunquam cessaturam poenam, aut gloriam passim depradicent. Huc etiam faciunt illud Ecclesiast. 1. Terra autem in aeternum stat, aliaque id genus sacrae paginae testimonia.

2. Secundo probatur nostra sententia: quia magnitudo aliqua permanens in ordine ad locum infinita esse potest, indifferenter qui dem versus Orientem

Orientem, aut Occidentem v. gr. vt superius ostendi: ergo etiam in ordine ad tempus, siue durationem, vel à parte ante, vel à parte post indifferenter infinita, aeternae esse potest: quae enim vtrunque discriminis ratio, vel leuissima afferri potest? Aut cur illud immensitati Dei derogare non potest; hoc autem secundum aeternitatem ei propriam deiiciet, creaturisque communem efficiet? Tertiò: non est de ratione productionis vt sic, vt in tempore incipiat, atque ab aeterno non fuerit; cur ergo creatura aliqua ab aeterno produci non possit? Antecedens conspicuum est: quia Verbum diuinum verè, & realiter producitur à Patre: at non in tempore, sed ab aeterno: de conceptu ergo productionis vt sic non est, vt in tempore, & non ab aeterno sit. Et quidem, estò productio alicuius creaturae ab aeterno fuisset, ea generationem Verbi perfectione non aequaret: siquidem talis productio esse finitum, & imperfectum communicaret, cum interim productio Verbi esse infinitum, & summè perfectum tribuat.

3. Quartò: non est de ratione effectus, vt sit causa sua posterior duratio realis, sed tantum, quod eam duratione naturae, siue rationis sequatur: at quamuis creatura aliqua permanens esset ab aeterno à Deo producta, tamen duratione rationis, siue naturae Deo posterior esset, vt duratione reali nequaquam eum sequeretur: creaturam ergo permanentem esse ab aeterno non repugnat. Minor perspicua est. Maior probatur: quia lux est effectus solis, & calor ignis: hi autem similisque effectus causas suas duratione reali non subsequuntur: quis enim vsquam, aut vnquam solem non lucere, aut ignem non calefcere vidit, vel potuit? Tandem omnipotentiae Dei denegandum non est, quod in se terminorum repugnantiam non complectitur: at existentia creaturae permanentis aeterna à parte ante, omnique initij expers terminos repugnantes, & inimicos non comprehendit, vt ostendo solutione argumentorum: ad quam iamiam progredior.

4. Oppositam ergo sententiam tuentur Henricus quodl. 1. quaest. 7. & quodl. 9. quaest. 17. Albertus in 2. distinct. 1. quaest. 2. Richard. in 2. dist. 1. quaest. 4. Marsilius quaest. 1. artic. 2. Guilielmus Paris. lib. 1. de vniuerso. Vdalricus in sua summa lib. 4. Toletus 8. Phys. cap. 2. quaest. 2. Valentia tom. 1. disputat. 3. quaest. 3. part. 2. assert. 3. Lessus lib. 4. de perfect. diuin. cap. 2. Tann. 1. part. d. 6. quaest. 1. d. 3. Murcia. Philoponus, Burlaeus, & alij. Quorum primum fundamentum est. Creatio rei est productio eius ex nihilo: at produci ex nihilo res nequit ab aeterno: nequit ergo creari. Maior in aperto est. Minor probatur: quia produci rem ex nihilo est illam produci ex non esse sui: quare necesse est, vt cum aliquid ex nihilo producitur, eius non esse praecedat eius esse: at quod producitur ab aeterno, ita comparatum est, vt eius non esse praecedere nequeat eius esse; eo quod eius esse sit ab aeterno.

5. Respond. o negata minori, & eius probatione: vt enim ex Anselmo in Monolog. cap. 8. explicant. D. Thomas 1. part. quaest. 45. art. 1. Durand. in 1. distinct. 1. quaest. 2. Heruicus in tract. de aeternit. mundi quaest. 2. Suarez disputat. 20. Metaphys. sect. 6. Hurtad. disputat. 12. Phys.

sect. 1. vt inquam hi, alique communiter explicant; cum creatio dicitur productio rei ex nihilo, nihilum non debet sumi posituè, quasi notet ordinem termini à quo, qui terminum ad quem, siue esse rei duratione reali antecedit: haud secus ac terminus à quo motus eius terminum ad quem tempore antecedit; non inquam posituè sumi debet, vt argumentum sub sumit, sed tantum negatiuè: vt sit idem rem produci ex nihilo, ac produci non ex aliquo praesupposito subiecto: qua ratione res existens ab aeterno ex nihilo produci potest: vt vel in emanatione Verbi diuini cernere est.

6. Arguunt secundò: si Deus produceret aliquid ab aeterno, illud non liberè, sed necessariò produceret: at implicat, Deum producere aliquid extra se necessitate naturae, & non potius secundum consilium, arbitriumque suae voluntatis: ergo, &c. Sequela probatur: quia Angelus v.g. ab aeterno productus nequaquam liberè existeret, dum existeret: quia omne dum est, necessariò est: nec etiam liberè existeret, antequam existeret: libertas enim, siue indifferentia in Angelo ad existendum, vel non existendum, antequam existeret, supponeret eum non existere in aliquo instanti antecedenti eius existentiam: at eo ipso, quod Angelus esset ab aeterno, in nullo instanti ante suam existeret existentiam. Respondeo, Angelus ab aeterno productus, existentiam adhuc, liberè, & necessariò existere posset. Quod autem omne dum est, necessario sit, nihil obest: quia ea necessitas est consequens: & ex suppositione consequenti ipsius existentiae Angelicae proficiscitur: vnde posset Angelus existens ab aeterno, dum est, liberè esse: quia necessitas consequens, & à determinatione antecedenti alicuius causae non orta nequit libertatem diruere. Sic Deus liberè, & non necessariò mundi existentiam efficaciter vult; esto eum ab aeterno velit: quia aeternae illius volitionis nullum principium cum ea connexum, ad eamue determinatum praexistit, aut praesupponitur.

7. Arguunt tertiò. Si Deus produceret creaturam ab aeterno, ea aeterna esset: at aeternitas est duratio propria solius Dei, vt constat ex symbolo Athanasij, vbi inter omnipotentiam, immensitatem, aliaque attributa Dei propria aeternitatem censet: ibi; *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus, sed non tres aeterni, sed vnus aeternus*: Id quod etiam omnes Theologi cum B. Thoma 1. part. quaest. 10. art. 3. profitentur. Confirmatur: quia supra conditionem creaturae esse videtur, vt Deo aequalis duratione sit: quò spectat illud Hugonis Victor. lib. 1. de Sacram. cap. 10. ibi: *Fugit diuinam virtutem, quod aliquid sibi coaeternum faciat*. At si aliqua creatura permanens ab aeterno producta esset, Deo aequalis esse posset duratione, eique coaeterna: nimirum si Deus eam ab aeterno productam aeternum etiam conseruaret. Respondeo: aeternitas bifariam sumi potest. Primò, pro duratione infinita, qua quid à se, & ratione stabilitatis, atque immutabilitatis sibi innatae semper est, nullumque temporis interuallum non permeat: & in hoc sensu aeternitas est duratio propria solius Dei: vt Beatus Thomas quaest. illa. 10. artic. 3. nuper citatus exponit. Secundò pro duratione infinita, qua quid semper est, aut erit, & infinita temporum spatia, aut à parte ante, aut à parte post,

poss. aut etiam vtrinque complectitur; ita tamen, ut id à se non habeat, sed potius extrinsecus emendicet: & aeternitas hac ratione sumpta duratio solius Dei propria non est, & creaturae potest communicari.

8. Arguunt quarto. Si creatura permanens duraret ab aeterno, oporteret eam ita durare per durationem à se distinctam: at per durationem à se distinctam durare diuinitus nequit: ergo, &c. Maior probatur: quia sicut extrema per unionem distinctam necessario vniuntur, quia reperiri possunt absque eo; quod vniuntur; ita creatura permanens nisi per durationem à se distinctam aeternum durare nequiret: siquidem tam ipsa creatura, quam aeternitas dari possent, quin ipsa aeternitati coëxisteret, aut commensa esset; nimirum si in tempore solum produceretur. Minor probatur: quia creatura permanens ab aeterno durare nequiret per durationes successiuas à se distinctas, quae infinita quadam vicissitudine sibi succederent: sic enim infinitum pertransiri, & aliquando finire posset: nec etiam per durationem indiuisibilem se ipsa indifferentem, ut ab aeterno esset, vel non esset: sicut ipsa creatura, cuius est duratio, indifferens esset: aliàs ea duratio per aliam durationem ab aeterno esset; & alia per aliam tertiam, & sic in infinitum: nec demum per durationem indiuisibilem, quae seipsa essentialiter affixa esset toti aeternitati, quam late diffusa est: quia eiusmodi duratio derogaret dominio Dei; eo quod Deus illam ex suppositione, quod existeret in vno instanti, non posset destruere non solum in alio instanti, verum etiam in tota aeternitate: quare, estd eius productio sub dominio Dei esset, tamen eius conseruatio Dei dominio minimè subesse posset.

9. Respondeo, creaturam permanentem ab aeterno conditam duraturam per durationem à se distinctam, & indiuisibilem, quae seipsa toti aeternitati essentialiter affixa esset; quaeque ex suppositione, quod semel existeret, non nisi transactis infinitis temporum spatiis à Deo impediri destructiue posset. Quod autem huiusmodi duratio dominio Dei obesse non posset, tripliciter ostendo. Primum quidem: quia non magis attinet ad dominium Dei, quod rem, ex suppositione quod existat, destruere posset, quam quod eam ex tali suppositione conseruare possit: tam enim esse rei, quam non esse illius penes arbitrium Dei esse debet: at non derogat praefixo Dei dominio, quod durationem affixam essentialiter instanti A. v. gr. ex suppositione, quod existat, conseruare non possit, ut etiam largiuntur aduersarij: ergo & eius dominio Dei derogare non poterit; quod durationem illam aeternitati commensam ex suppositione, quod esset, destruere non posset. Secundò: dominio Dei derogare non potest, quod ex suppositione, quod causa necessaria proximè expedita in aliquo signo priori naturae existat, eius effectum impedire nequeat: ergo nec etiam eius dominio derogare non potest; quod ex suppositione, quod existat duratio aliqua in instanti priori temporis, eam in alio posteriori impedire, aut destruere nequeat. Tertio & à priori. Quod non possit Deus aliquid ex suppositione consequenti determinationem liberam suae voluntatis eius dominio detrahare non potest: aliàs

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

omnis effectus liber ad extra eius dominium imminueret, cum nullus sit, qui ex suppositione, quod existat à Deo inimpedibilis non sit: at quod duratio illa, de qua concertatio est, existat in instanti priori est suppositio: consequens determinationem liberam diuinæ voluntatis: ergo quod ex ea suppositione nequeat Deus durationem eiusmodi in instanti sequenti destruere, dominio Dei praediacare non poterit. Respondeo secundò, creaturam illam durare posse ab aeterno per durationes successiuas infinita quadam alternatione labentes, atque decurrentes: siquidem infinitum etiam successiuum ab aeterno esse posse verius est, ut cap. sequenti ostendam.

Denum obijciunt. Si Deus ignem ab aeterno produceret, eique stupam applicaret, eiusmodi ignis stupam ab aeterno combureret, & ab aeterno non combureret: foret quidem, ut combureret: quia nec in igne virtus ad producendam formam ignis, nec in stupam aptitudo ad eam suscipiendam deesset: foret etiam, ut non combureret: quia aliàs forma ignis, & forma stupae in eadem materia coaluissent, siue simul fuissent: videlicet quoniam stupam ab aeterno producta, & aliunde ab igne ab aeterno combusta fuisset. Deinde: si Deus ab aeterno lapidem extra centrum creasset, is in centrum ab aeterno cecidisset, & non cecidisset: quod non cecidisset, patet: quia aliàs ab aeterno in centro fuisset, cuius tamen contrarium supponitur: quod item cecidisset, haud videtur minus perspicuum, quandoquidem innata sibi gravitate ab aeterno fuisset productus. Præterea: si Deus foeminam ab aeterno pregnantem produceret, ea ab aeterno foetum pareret, & non pareret; pareret quidem ab aeterno, nam quid ab aeterno puerperium impedire posset? Quod tamen ridiculum videtur, non pareret ab aeterno: aliàs partus praegnatione neuiquam posterior esset. Respondeo: ignis ab aeterno productus stupam sibi applicatam ab aeterno non combussisset; quantum enim haberet potentiam remotam ad eam combustionem: nimirum qui virtute combustiva praeditus esset, cuique passum combustibile proximè adesset: ceterum non haberet potentiam proximam ad eiusmodi combustionem: quia hoc, quod est, stupam in tempore existere, est conditio necessaria, ut forma stupae formae ignis succedat, seu ut stupam in ignem conuertatur: hæc autem conditio in eo euentu deesset: ac per consequens potentia proxima ad combustionem stupae: id quod etiam ratio in argumento allata confirmat. Eadem ratione lapis ab aeterno extra centrum non longè distans productus in illud tota aeternitate non descenderet, descensusque ei impossibilis esset, non impotentia remota, sed impotentia proxima, uti supra proximè explicui. Eodem denique pacto foemina praegnans ab aeterno quantumcunque potentia remota parere posset, non nisi in tempore tamen pareret; defectu utique potentiae proximæ ad pariendum.

DI CAPVT

CAPVT II.

An creatura aliqua successiua, siue corporea possit esse à parte ante aeterna, siue infinita quoad durationem?

11. **C**reaturam successiuam aeternam à parte post, siue simpliciter finitam, infinitam verò in potentia solum, & secundum quid possibilem esse, imò de facto datum iri Philosophi omnes Christiani, & quotquot etiam ex Ethnicis minus desipere aperte profitentur. Quod verò ad creaturam successiuam aeternam à parte ante, & simpliciter, actūque infinitam attinet; an possibile sit? inter Authores non parum controuerti solet. Porro creatura successiua, de qua an à parte ante aeterna infinitaue esse possit, in dubium reuocari solet, duplex est: nimirum continua, qualis est motus caelorum v.g. aut discreta, quales sunt generationes hominum, aliorumque animantium.

12. **A**ssero primò: creatura continua successiua, qualis est caelorum motus diuinitus aeterna, siue infinita à parte ante esse potest. Ita Gregorius in 2. dist. 1. Hieronimus quodl. 9. q. 3. Auerroës lib. 7. Phys. comment. 76. Collegium Conimbric. lib. 4. Phys. cap. 2. q. 7. art. 4. esto problematicè P. Valquez 1. part. disp. 177. cap. 5. Capreolus, Aegidijs, Iandunus, & alij. Probatur assertio primò: quia in eo quod motus circularis caelorum, aliūque quouis, esto non circularis, sed rectus sit, ab aeterno successiue decurrat, nullam implicationem inuoluit, ut inferius ostendam solutione argumentorum, quæ in contrarium vrgeri solent: ergo, &c. Secundo: non implicat existere simul tempore infinitas vbicationes quoad locum successiuas, quæ versus Orientem, aut versus Orientem, in immensum protendantur, ut supra ostendi, cum de longitudine, aut versus Orientem, aut versus Occidentem infinita disputationem haberem: ergo etiam non implicat, existere infinitas durationes successiuas, quæ vel à parte ante, vel à parte post indifferenter termino omni destitutæ sint: ergo etiam motus locales infinitos non solum à parte post, verum etiam à parte ante dari non repugnat. Assero secundo: creatura successiua discreta generationibus hominum v.g. coalescens, simpliciter, siue à parte ante aeterna, infinitaue esse potest. Ita Capreolus in 2. distinct. 1. qu. 1. art. 3. Venetus lib. 7. Phys. Collegium Conimbr. vbi sup. art. 5. & 6. & si oppositam etiam probabile reantur. Probatur assertio solutione argumentorum; ad quam gradum facio.

13. **E**nimverò nullum motum successiuum, siue continuum, siue discretum ab aeterno esse, siue à parte ante infinitum (contra quam duabus assertionibus præcedentibus asserui) censent Durandus in 2. dist. 1. quæst. 3. Valentia t. 1. disp. 3. q. 3. punct. 2. Tolerus 8. Physic. qu. 2. & recentiores Theologi communius. Arguunt primò: motus ille à parte ante aeternus posset, & non posset pertransiri: quæ repugnantia sunt: posset quidem pertransiri, imò necesse esset, eum pertransiri: quia tandem aliquando ventum esset ad instans, in quo vera esset hæc propositio: motus successiuus infinitis partibus constans præcessit, siue transa-

ctus est: non posset pertransiri; quia infinitum successiue pertransiri nequit: cum ergo motus ille infinitus, aeternusque esset, pertransiri non posset. Antecedens probatur, primò: quia infinitum est quod finiri, siue pertransiri non potest, in eoque à finito differt. Secundo: quia ideò infinitum à parte post cruciatum Iudæ v. gr. pertransiri non potest, quia infinitum est. Tertiò autoritate Aristotelis 3. Phys. cap. 5. textu 41. ibi: *Si igitur fieri potest, ut res innumerabilis numeretur, infinitum quoque poterit transiri.*

14. **R**espondeo, infinitum infinito tempore successiue pertransiri potest: quare motus successiuus à parte ante aeternus, infinitusque tota aeternitate successiua pertransiri poterit. Ad primam probationem oppositam dicendum est: infinitum definitur, ac nuncupatur tale; quia aliqua ex parte sine caret, esto alia ex parte terminum, finemque sibi præscribat: sufficit autem ad hoc, ut aliquid pertransiri, ac præteriri posset; ut aliqua ex parte, posteriori nimirum, finem sibi præstituat: unde infinitum à parte ante rectè pertransiri poterit. Ad secundam probationem dicendum est; ideò infinitum, aeternumque à parte post pertransiri non posse; quia est infinitum à parte post; non verò quia utcumque est infinitum, aut aeternum. Ad tertiam probationem dicendum est, Aristotelem solum censuisse infinitum non posse tempore finito pertransiri, quod nos vltro largimur: & quidem vel exemplum Aristotelicum id perspicuum efficit: sicut enim innumerabilem numerum, aut mensuram aliquam finitam reuocare non potes (nullus enim numerus est, qui eo ipso finitus non sit) sic etiam infinitum tempore finito pertransiri nequit.

15. **A**rguunt secundo: generatio hominis susceptionem seminis, conceptionem fœtus, eius coagulationem, eiusque partes complectitur: hæc omnia ab aeterno esse non possunt: ergo nulla singularis generatio ab aeterno esse potuit, multo ergo minus infinita generationum humanarum collectio ab aeterno esse potuit. Minor suadetur: quia quæ ab aeterno sunt, simul sunt: qua ratione tres diuinæ personæ ut ab aeterno sic simul duratione sunt: at ea quæ generationem hominis complectitur simul esse non possunt, sed successiue: ergo ab aeterno esse nequeunt. Respondeo: nulla generatio humana esse potuit ab aeterno, sed potius in tempore esse debet: cæterum collectio infinita generationum humanarum ab aeterno esse potuit, & in tempore esse non debet: haud secus ac quæuis duratio Angeli præteritura est, nullaque est, de qua aliquando verum non erit enunciare, iam præterit; & tamen collectio infinita durationum Angelicarum in nullo instanti præteritura est.

16. **A**rguunt tertio: si possibile esset motus circularis cœli aeternus à parte ante, infinitasque reuolutiones complectens; posset Deus singulis reuolutionibus singulos Angelos creare: cum ergo Angeli immortales sint, fieret sanè, ut in hoc instanti A. quod cœlo infinities reuoluto posterius est, Angeli infiniti simul, & semel existerent. Respondeo primò concessa sequela: consequens autem absurdum non esse supra tract. 3. satis ostendi: deinde esto consequens absurdum sit, & infinitas cathegorematica repugnet: sanè poterit Deus singulis instantibus singulos Angelos producere; ita tamen ut miraculose quos semel produxit, in instanti sequenti destruat: quo fiet, ut ad infinitam

infinitam eorum collectionem actu, & simul existentem nunquam deuenire sit. Quod si Deus in singulis caeli gyrationibus, non singulos Angelos, sed singulos homines produxisset, opus non esset, animas alioqui immortales semel productas iterum destruere: sed transmigratione animarum de corpore in corpus earum infinitatem Deus euitare posset: quanquam enim eiusmodi palingenesia de facto admittenda non sit, & contra Pythagoricos erroris damnata sit, eam tamen possibilem esse supernaturaliter quis ambigat?

17.

Arguunt quartò: si possibilis esset motus rectus aeternus à parte ante, sicuti supra edocuimus, possent duo per totam aeternitatem moueri ab Oriente ad Occidentem, & ab Occidente ad Orientem. Consequens est absurdum: quia non esset; cur hodie, quàm abhinc mille annis sibi occurrerent: nec cur potius Salmanticae v.gr. quàm quavis alia mundi plaga, aut etiam extra vniuersi spatium qua immensum illud inane quaquà versus protenditur; siquidem in spatio temporis, aut loci simpliciter infinito, quod vterque transigit, nulla pars definita est medium: cum medium sit, quod aequaliter distat ab extremis, quibus tamen spatium infinitum caret: cur ergo in vna loci parte potius, quàm in alia concurrere deberent, cum nullum instans praeter alio medium sit inter instantia, quae ab aeterno fuere, aut quae in aeternum futura sunt? Rursus: si duo ab Oriente in Occidentem ab aeterno moueantur, alter altero duplo velocius; sanè is, qui tardius mouetur, spatium infinitum vsque ad instans A. v.gr. peragit: ergo ille, qui duplo celerius mouetur, seignorem intervallo infinito post se relinquit: aliàs duplo celerius eo non moueretur; ergo spatium infinitum duobus terminis vtrique coërcetur: siquidem spatium infinitum, quo alter alteri praecurrit versus Occidentem finitur, ac terminatur, vt supponimus: deinde versus Orientem etiam terminatur, cum versus Orientem eo incipiat, quo seignior quieuit.

18.

Respondeo: motus aeternus à parte ante esse potest: etsi enim id genus motus terminum à quo fortiri nequeat: id tamen ratione suae infinitatis non inconuenit, vti supra exposuimus. Ad

primum inconueniens: si duo ab Oriente in Occidentem, & è contrà ab aeterno mouerentur, alterque in alterius occursum veniret; sanè in aliquo determinato spatio temporis, & loci sibi occurrere possent. Quale autem esset illud temporis, & loci spatium, cum spatium infinitum medio propriè sumpto careat, refundi deberet in naturam motus, quo vterque moueretur: motus enim infinitus, atque spatio temporis, & loci infinito commensus, vnius naturae, aut speciei non est: per motum ergo huius speciei in hoc loco, ac tempore sibi occurrerent, & per motum alterius speciei in alio temporis, & loci interuallo: quanquam autem hanc motuum aeternorum, infinitorumque diuersitatem angustia nostri pectoris capere, aut percipere nequeant; infinita tamen, ac suprema mens eam probè nouit, ac comprehendit. Ad secundum inconueniens: si duo ab Oriente in Occidentem ab aeterno mouerentur, neuter altero duplo, aut villo modo velocius moueri posset: cum enim motus velocior alio sit, qui aequali spatio temporis maius loci spatium conficit: neuter autem motus in euentu posito posset maius spatium alio conficere, eo quod vterque spatium infinitum conficiat: vnum autem infinitum alio propriè maius esse nequeat; sanè neuter eorum alio velocior, aut concitator esse posset: fateor tamen, quamlibet partem vnius eorum motuum velociorem esse posse quavis parte alterius motus: inde tamen argui nequit, ad collectionem vnius, alteriusque motus; eo quod in infinito à distributio ad collectiuum consequentia non teneat, vt saepe monui, atque probaui.

19.

Quintò arguunt: qualibet pars motus aeterni à parte ante haberet aliquid se prius: ergo totus motus haberet aliquid se prius; quod tamen implicat. Denique arguunt: cum motus ille infinitas partes priores, infinitasque posteriores alternatim discurrentes complecteretur: sanè partes eius priores plures essent, & simul non plures, vt eo argumenti genere, quod alternatium nuncupant, ostendi potest. Verum priori argumento in simili factum est satis tract. 3. huius lib. cap. 3. posteriori autem responsum est supra lib. 3. tract. 3. cap. 2.